



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

De Exaltatione S. Crucis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

per. Tu verò quid Deo & gratiæ rependis, cui tantum debes? *Domine, quid me vis facere.*

DE EXALTATIONE
S. CRUCIS

14. Sept.

De crucifixione Christi. Ioan. 12.

PUNCTUM PRIMUM.

D*ixit Iesus turbis. Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eiicietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Considera summam sapientiam & potentiam Dei, quod eare, qua nihil erat contemptius & infirmius mundo, nempe patibulo crucis, omnem potentiam diaboli principis mundi, id est, peccatorum fregerit, & mundum totum à peccato & faucibus inferni & diaboli vindicaverit, id est, iudicando liberaverit: ut discas humilitate & contemptu sui omnes tentationes dæmonis & mundi frangi. 2. Considera tantum esse beneficium nobis præstitum per exaltationem Christi in crucem & mortem, tantamque charitatem demonstratam, ut non modò allici, sed etiam trahi quodammodo, licet inviti, in eius amorem debeamus. Et tanta est vis passionis, si serio perpendatur, ut non tam moveat, quam impellat hominem peccatorem ad conversionem, & pœnitentiam, ac mortem etiam, dum opus est, ut accidit martyribus, libenti animo perferendam.

Cruce.
1.
Mundus
victus.

2.
Trahi-
mur ad
Deum.

PUN-

PUNCTUM II.

Cruce
obtinē
tur ho-
nores.
&c.

10. 12.
24.

Respondit turba, *audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum, & quomodo tu dicis: Oportet exaltari filium hominis?* Considera turbam, id est, homines mundi, mundanarumque rerum, ut opum, honorum, voluptatum & vitæ carnalis amantes non intelligere, quæ sunt spiritus Dei, paupertatem, contemptum sui, passiones, mortem: & ideo non potuerunt capere hæc in Christum convenire. At qui Christi sunt discipuli, illi sciunt per paupertatem, opprobria & multas tribulationes perveniri ad veras opes, honorem, vitam, ipsamque æternitatem. *Si enim granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum affert.* Sic Heraclius Imperator hoc die, non cum gemmis & auro splendidus esset, sed cum vili habitu, nudisque pedibus indutus esset, meruit crucem ipsam Christi à Persis recuperatam, in montem Calvariæ referre.

PUNCTUM III.

Scientia
crucis.

1. Cor. 2.
2.

Ad huc modicum lumen in vobis est. *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant: & qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* Considera modicum lumen in iis esse, qui non cum Apostolo Paulo dicere possunt: *Non judicavi me scire aliquid nisi Iesum & hunc crucifixum, sicut modicum erat in dicta turba, quomodo enim sequetur Christum clamantem: Qui vult venire post me, abneget semetipsum*

metipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: Ideo solere nos frontem, totumque corpus sæpe insignire cruce, ut hoc lumen in omni actione nostra præferatur: alioqui enim facile nos tenebræ, & tenebrarum Princeps suis tentationum laqueis esset comprehensurus.

DE SANCTO MATTHÆO. 21. Sept.
PUNCTUM PRIMUM.

CHristus Matthæum ad se trahit tribus quasi Vocatur
vinculis. 1. Aspectu: Cùm transiret Iesus vi-
dit. Nec mirum: nam ut ait sanctus Hierony-
mus, Fulgor & majestas divinitatis occulta, qua
etiam in humana Christi facie relucebat, primo
aspectu videntes ad se attrahere, poterat, quos vo-
lebat. Domine Respice in me & miserere mei. 1.
2. Voce; atque, illi sequere me. Ante illam vo-
cem, inquit sanctus Ambrosius, rapiebat aliena,
post relinquebat propria. Domine, quam potens
est vox tua! Vox concutientis desertum scilicet
virtutis, Confringentis cedros seu superbos & ela-
tos motus publicani, Intercidentis flammam
ignis, id est cupiditates avaritiæ, &c. 2. Inspi-
ratione, Qui foris verbo vocavit, inquit Beda, Cant. 1,
intus invisibili instinctu edocuit. Domine tri-
bus his vinculis, Trahe me & curremus in
odorem unguentorum tuorum. Sed
nonne te sic sæpe tra-
hit?

Matth. 9. 9.
Hieron. in Mat. Ps. 24. 5.
Ps. 28. 8.
Cant. 1, 3.

PUN-